

COLLOQVIVM SEXTVM DECIMVM

Persōnae: Dōrippa, Lepidus, Lȳdia, Mēdus

Māne est. Urbs Rōma prīmā lūce sōlis orientis illūstrātur. Ventus frīgidus ā montibus flāre incipit.

Dōrippa, amīca Lȳdiae, ē lectō surgit et fenestram aperit. In viā īnfrā fenestram Lepidum advenīre videt.

Lepidus, quī multās rosās sēcum fert, ad cubiculum Dōrippae ascendit atque intrāns "Salvē" inquit, "amīca mea!"

Dōrippa eum nōn salūtat.

Lepidus: "Ecce rosae quās tibi afferō, Dōrippa, rosa mea! Accipe hās rosās ab amīcō tuō!"

Dōrippa tacita Lepidum intuētur neque locō sē movet.

Lepidus: "Nōnne rosae tē dēlectant?"

Dōrippa rosās manū capit et ad terram iacit!

Lepidus: "Quid agis, Dōrippa? Cūr rosās pulchrās ad terram iacis?"

Dōrippa: "Eās rosās dā amīcae tuae!"

Lepidus: "At rosās amīcae meae dō."

Dōrippa: "Nōn sum ego amīca tua."

Lepidus: "Quid audiō?"

Dōrippa: "Id quod vērum est."

Lepidus: "Sed ego tē amō, Dōrippa."

Dōrippa: “Tū nōn mē, sed ancillam amās.”

Lepidus: “Quid dīcis?”

Dōrippa: “Dīcō ‘nōn mē, sed ancillam ā tē amārī’.”

Lepidus: “Quam ancillam dīcis?”

Dōrippa: “Eam ancillam fōrmōsam cum quā ambulāre solēs.”

Lepidus: “Ego nōn soleō ambulāre cum ancillā.”

Dōrippa: “Putāsne mē oculōs nōn habēre? In mediā viā ancillae ōscula dās!”

acc mē *dat* mihi
tē tibi
sē sibi
D.: *“Mihi* frāter est”
D. dīcit *‘sibi* frātrem esse’

Lepidus: “Dēsine mē accūsāre, Dōrippa! Ea fēmina quam tū ‘ancillam’ dīcis nōn ancilla, sed... soror mea est.”

Dōrippa: “Vērum nōn dīcis. Tibi soror nūlla est. Sed mihi est frāter māgnus quī tē pulsāre potest!” Dōrippa ‘sibi frātrem esse’ dīcit ¾ id quod vērum nōn est!

Lepidus: “Ubi est ille frāter tuus?”

Dōrippa: “Hīc apud mē habitat.”

Lepidus: “Id vērum nōn est. Ego frātrem tuum nōn timeō!”

Dōrippa: “Nec frāter meus tē timet. Iam discēde, Lepide, antequam ille revenit!”

Dum Dōrippa loquitur, aperītur ōstium, atque Lȳdia cum Mēdō cubiculum intrat. Lȳdia et Mēdus Dōrippam salūtant et ab eā salūtantur, Lepidō spectante.

Dōrippa sē ad Lepidum vertit et “Ecce frāter meus” inquit “quī cum amīcā suā venit!”

Mēdus: “Quid dīcis?”

Dōrippa: “Sūme rosās tuās, Lepide, atque abī, antequam frāter meus tē per fenestram iacit!”

Lepidus, quī Mēdum virum māgnum et fortem atque fenestram apertam videt, statim per ōstium ēgreditur neque rosās sēcum fert. Dōrippa autem rosās sūmit eāsque per fenestram iacit in viam!

Lȳdia: “Quid agis, Dōrippa? Cūr amīcum tuum abīre iubēs ac rosās per fenestram iacis?”

Dōrippa: “Is amīcus meus iam nōn est.”

Mēdus: “Cūr mē ‘frātrem tuum’ appellās?”

Dōrippa: “Quia Lepidus frātrem meum verētur.”

Lȳdia: “Sed tibi nūllus est frāter, Dōrippa.”

Dōrippa: “Nec Lepidō soror est! Ille dīcit ‘sibi sorōrem esse’, ergō ego ‘mihi frātrem esse’ dīcō!”

Lȳdia: “Cūr Lepidus dīcit ‘sorōrem sibi esse’?”

Dōrippa: “Quia nōn mē, sed aliam fēminam amat. Eam fēminam ‘sorōrem suam esse’ dīcit ¾ id quod vērum nōn est.”

Hoc dīcēns Dōrippa lacrimās tenēre nōn potest. Lȳdia amīcam lacrimantem complectitur atque cōnsōlārī cōnātur.

Lȳdia: “Dēsine lacrimāre, Dōrippa mea! Gaudē quod ille vir improbus tē nōn amat!”

Dōrippa: “Omnēs virī sunt improbī!”

Lȳdia: “Nōn omnēs, Dōrippa. Aspice Mēdum: is est vir probus atque vērus amīcus, quī amīcam suam nōn relinquit.

Dōrippa Mēdum aspicit, tum ad Lȳdiam sē vertēns “Et tū” inquit “es fēmina proba atque vēra amīca, quae nōn relinquis amīcam tuam. ¾ Sed quid hodiē māne ad mē venīs?”

Lȳdia: “Veniō quia mihi necesse est Rōmā proficīscī cum amīcō meō. In portū Ōstiēnsī bona nāvis nōs opperītur, atque ventus secundus est.”

Dōrippa: “Ergō tū quoque mē relinquis! Iam neque amīcum neque amīcam Rōmae habeō.”

Lȳdia: “Multae aliae amīcae sunt tibi, Dōrippa. Ego omnēs amīcās meās Rōmānās relinquō.”

Dōrippa: “Sed cūr necesse est tē Rōmā proficīscī atque amīcās tuās relinquere? Id tē interrogō.”

Lȳdia: “Quia amīcus meus mē Rōmae relinquere nōn vult. Necesse est enim Mēdum Rōmā fugere, quia dominus eius hīc eum reperīre potest. In Italiā quiētī vīvere nōn possumus, quod Mēdus dominum suum sevērum metuit.”

Mēdus: “Ego nūllum dominum metuō nec Rōmā fugiō!”

Lȳdia: “Sed necesse est nōs Rōmā profiscīscī.”

Mēdus: “Vērum dīcis: necesse est nōs simul in patriam nostram redīre.”

Dōrippa: “Quae est patria vestra?”

Lȳdia: “Est Graecia. Mēdus in Graeciam, patriam suam, redīre vult, itaque necesse est mē simul in Graeciam īre, quae mea quoque patria est; neque enim sine amīcō meō vīvere possum.”

Mēdus: “Age, venī mēcum, Lȳdia! Tempus est abīre.”

dolēre « gaudēre

Lȳdia amīcae suae ōsculum fert et “Doleō” inquit “quod mihi necesse est tē relinquere, mea Dōrippa. Bene vīve valēque!”

Mēdus: “Valē, Dōrippa!”

et vōs = etiam vōs

Dōrippa: “Et vōs valēte! Bene nāvigāte!”

Exit Mēdus, Lȳdiā sequente.